Quelle: https://manuscripta.at/?ID=671
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

navigat. Cumque tanto ab ea distaret spacio unde facile videri non posset, inanes scaphas in salo relictas, septem ipse solos inermes satellites secum habens, propius ut conspiceretur accessit. Quem cum inimici adhuc maledicentes et ex muro conspexissent metu perterriti, et scaphas armatorum esse plenas existimantes, arma proiciunt, manibusque supplices agitantes, ut civitati parceret precabantur. Iosephus autem perquam multis eos minis atque exprobrationibus castigavit: primum quod bello contra populum romanum suscepto, intestinis dissensionibus vires suas ante consumerent, inimicorumque vota complerent. Deinde quod securitatis sue curatorem de medio tollere properarent, civitatemque non erubescerent sibi claudere, qui eam muro cinxisset. Non repudiaturum se autem si qui sibi satisfacerent, quibus quasi venientibus amicitiam cum civitate firmaret. Itaque statim ad eum decem tyberiensium potentissimi descenderunt. His autem in unam naviculam piscatoriam receptis et procul abductis, alios L curiales maxime notissimos venire iussit, velut illi quoque fidem sibi prebere deberent. Deinde novas causationes excogitans alios insuper atque alios obtentu federis evocabat. Et gubernatoribus navium repletarum ut mature taricheas recurrerent imperabat, quosque advexissent in carcerem collocarent, donec omnem curiam que .dc. haberet viros, duoque milia popularium comprehensa in taricheas scaphis abduxit. Reliquis autem vociferantibus clytum quendam esse maxime defectionis auctorem, itaque ipsi penam illi precantibus satiaret, nullum quidem iosephus volebat occidere; suorum vero satellitum quendam levin egredi iussit, qui clyti manum absciderent. Sed cum vir is pre timore solum se globo inimicorum commissurum negasset, eaque causa indignari stantem in scapha iosephum clytus videret, ipsumque velle descendere ac de se supplicium sumere, ut saltem unam manum sibi concederet orabat. Neque hoc abnuente iosepho, dum in alteram semet clytus perciderent, educto ille dextera gladio levam sibi truncavit. Tantus eum timor iosephi invaserat. Ita tamen iosephus vacuis scaphis et satellitibus septem populo capto rursus tyberiadam sibi sociavit.

Paucis diebus post cum etiam sefforim defecisse inter alias repperisset, militibus eam depredari permisit, omniaque inde collecta popularibus dedit. Etiam sephoritis. Nam et captos rapinarum dampno corrigere voluit, redibitione rerum rursus eos ad benivolentiam revocare. Hactenus apud galileam motus erat. Iamque ab intestinis dissensionibus quiescentes, adversus romanos instruebantur.

Hierosolimis autem ananus pontifex et potenciores qui non cum romanorum parte sentirent, muros instaurare properabant. Multaque bellica instrumenta per quoque omne oppidum sagitte aliaque arma fabricabantur. Exercitationibus autem iussis manus iuvenum operam dabat. Et erantque universa plena tumultus, magnaque tristicia mediocres occupaverat. Multique futuras clades prospicientes fletum cohibere non poterant. Infestaque pacem cupientibus omnia videbantur. Belli autem incentoribus que illis placerent extempore fingebantur. Status quidem iam talis quasi perituris civitatis erat antequam romani venirent. Anano autem apparatum belli negligere cura fuit, et studiosorum quos emulatores vocabant amentiam ad utiliora convertere. Sed victus est; et quis illi finis fuerit posterioribus explanabimus. At in acrabatena toparchia gyore filius symon multis novarum rerum cupidis congregatis ad rapinas conversus, non solum domos locupletum perturbabat, verum etiam corpora verberibus conficiebat. Iamque tum certus erat incipiens tyrannidem. Ab anano autem missis adversus eum militibus magistratuum, ad latrones qui erant masade cum his quos habebat effugit. Ibique manens donec ananus et alii eius inimici perempti sunt, idumeam cum ceteris populabatur, adeo ut magistratus eius gentis propter cedium multitudinem et predarum assiduitatem collecto milite vicos presidiis tuerentur. Et idumee quidem res ita se habebant.

Explicit lib. XXII. (vigesimi)
Incipit liber .XXIII.

NERONE AUTEM UBI res apud iudeam non prospere gestas accepit, latens quidem quod necesse fuit, cum timore stupor invadit.